

Следников А.Г.

De institutorio linguae Latinae vivae cursu ad usum scholarium Russorum

[Stable URL: <http://elar.uniyar.ac.ru/jspui/handle/123456789/1804>]

[Публикация работы:]

Slednikov A. 2011: De institutorio linguae Latinae vivae cursu ad usum scholarium
Russorum // Vox Latina. Т. 47, 87-94.



НАУЧНО-ОБРАЗОВАТЕЛЬНЫЙ
ЦЕНТР АНТИКОВЕДЕНИЯ
ЯРОСЛАВСКОГО ГОСУДАРСТВЕННОГО УНИВЕРСИТЕТА
ИМ. П.Г. ДЕМИДОВА
ЯРОСЛАВЛЬ, РОССИЯ

THE SCIENTIFIC & EDUCATIONAL
CENTRE FOR CLASSICAL STUDIES
AT YAROSLAVL DEMIDOV STATE UNIVERSITY
YAROSLAVL, RUSSIA

DAS WISSENSCHAFTLICHEN FORSCHUNGS- UND
STUDIENZENTRUM FÜR DIE GESCHICHTE,
KULTUR UND RECHT DER ANTIKE
DER STAATLICHEN DEMIDOW-UNIVERSITÄT JAROSLAWL
YAROSLAWL, RUSSLAND

РОССИЙСКАЯ АССОЦИАЦИЯ
АНТИКОВЕДОВ
RUSSIAN SOCIETY OF CLASSICAL STUDIES



НАУЧНО-ИССЛЕДОВАТЕЛЬСКИЙ И
ОБРАЗОВАТЕЛЬНЫЙ ФОНД
«ЦЕНТР ИЗУЧЕНИЯ РИМСКОГО ПРАВА»
ЯРОСЛАВСКИЙ ФИЛИАЛ
THE RESEARCH AND EDUCATIONAL FOUNDATION
“THE CENTRE FOR ROMAN LAW STUDIES”
YAROSLAVL BRANCH



ЯРОСЛАВСКИЙ ГОСУДАРСТВЕННЫЙ УНИВЕРСИТЕТ
ИМ. П.Г. ДЕМИДОВА
YAROSLAVL DEMIDOV STATE UNIVERSITY

DE INSTITVTORIO LINGVAE LATINAE VIVAE CVRSV AD VSVM SCHOLARIVM RVSSORVM

Modo commentationis determinati duo quaestiones praeterimus: unam de auctoritate in usu linguae Latinae nostri temporis ut vocant vivae, alteram autem de eiusdem norma linguistica¹. Etsi repugnanter suspicioseque interim accipitur a grammaticis domesticis partimque extraneis, tamen non est disputandum, quod traditio Latine scribendi ac loquendi adhuc valeat. Lingua Latina viva hodie non tantum in gentium conventibus et seminariis, operibus scriptorum Neolatinorum et praesidiis doctrinis², commentariis diurnis et circulis academicis³ colitur, sed hoc extremo etiam tempore in interreti adhibetur. Quibus ultimis factis linguae Latinae vivae motus plus plusque divulgatur: praeter utriusque linguae grammaticos Latinitatis quoque tirones participare possunt.

Ergo persequatur, ut hoc linguae Latinae genus ad scholares docendos elaboretur, praecepta Latine loquendi investigentur, lexica manualiaque edantur ad neologismos cognoscendos ac facultates loquendi et scribendi quoque acquirendas. Iam scit hoc tempore Russorum philologia nonnulla opera, quibus vivae Latinae vestigia inveniamus. Eorum auctores sunt Prof. Dr Alexander Suppopulinus Mosquensis (Suppopulinus 1993-2000; 1998; 2002), Dr Alexius Scatebranus Rutenus (Scatebranus 2008), Dr Alexius Albanus (Suppopulinus 2002), Dr Michaël Djačok (Djačok 1997; 1999), Dr Iohannes Gromyko (Gromyko 2000).

Pleraque enchiridiorum vivae Latinae vocis ediscendae Dr Alexius Scatebranus Rutenus inspexit (Scatebranus 2008, pp. 124-139). Haec opera inspecta ab antiquitate Graeca et Romana usque ad tempora praesentia pertinent ad regionem praecipue occidentalem. Dividi possunt in partes tres: Prima parte

¹ Terminus, qui est «lingua Latina viva» (exactius «*Latinitas viva*») a Georgio Rosenthal, paedagogo Germanico, anno 1924^o novatus esse videtur: magni momenti loquentia Latina fuit usui eius doctrinae (Stroh 2001).

² De historia linguae Latinae vivae motūs Europaei nostro tempore v. Fritsch 1990, pp. 65-73.

³ Cfr relatio «De lingua Latina viva in academiis theologicis docenda» anno 2010^o in Conventu didascalico Moscoviensi a Maximo Uncino Nicolai f. allata. Naravit superiores sacerdotes in Academia et in seminario spirituali Moscoviensi alumnos suos vivā Latinā voce mox erudituros esse.

colloquia⁴ sunt, ad secundam manualia pertinent et chrestomathiae in lectiones divisorum (huiusmodi florilegia sunt nostro tempore ad discendas linguas recentiores in Rutenia pervagata), partem tertiam lexica indicesque faciunt.

Nihilominus cum examinemus, quam idonea eadem hodie sint ad ediscendam vivam Latinam vocem, ea non ita incommoda scholaribus Russis videmus. Tamen adaptanda sunt. Prima causa adaptandi nostrā opinione est, quod haec enchiridia non sunt destinata usui scholarium, qui linguas peregrinas nesciunt. Enchiridia enimvero domestica ad rem spectantia aut quae in Rutenia Regia edita iam dudum raritas bibliographica facta sunt⁵, aut singulis exceptis⁶ aliquando edi exspectant. Causa altera esse possunt condiciones de manualibus Europaeis enarrandae: haud semper Russorum modo vivendi et docendi conveniunt. Denique causa tertia (magni vero momenti) est necessitas elaborandi copiam exercitationum ad facultates scholarium loquendi scribendique acquirendas et excolendas. Quantum scimus, pleraque⁷ extranea huius temporis enchiridia vivae Latinae vocis ediscendae aut sunt chrestomathiae in lectiones divisae et indicibus verborum cottidianorum suppletae (Albert 1987), aut minimum minimorum in se contineant exercitationum «communicativarum», ut hodie vocant (Patrick 2007).

Institutorium linguae Latinae vivae cursum proprietatum suarum causā pro tantummodo institutorium linguae Latinae cursum fundamentalem fieri posse aestimamus. Huiusmodi institutorii cursūs fundamentales in scholis plerumque habentur in disciplinis historicis et iuris scientiarum et biologicis et linguarum peregrinarum [grammaticorum], anno academico primo. Utroque propositis et rationibus et argumentis docendi dilato non liceat hos inter

⁴ Haec plerumque ad manualia Renascentiae ac recentioris aetatis attinent.

⁵ Dr Alexius Scatebranus Rutenus ex medio colloquiorum Russico-Latinorum Ruteniae Regiae memorat haec: Colloquia Russico-Latina, In vita communi usitatissima, divisa in lectiones, quae vocabulis minus vulgaribus concomitantur et quibus sub finem addita sunt etiam aliquot proverbia et voces Latini sermonis synonymae, in gratiam Russicae iuventutis edita ab E. P. S. I.

⁶ Ex medio colloquiorum Russico-Latinorum, quae in Rutenia nostro tempore edita sunt, duo solum opuscula nobis nota memoremus. Unum c. n. Prusakov V. V. / Kazakov G. A. Latinitas in usu. Russko-latinskij razgovornik. - M.: Fak. inostr. jaz. i regionovedenija MGU im. M. V. Lomonosova, 2006. Alterum vide in pagina electronica haec: <http://linguaeterna.ru>.

⁷ Rara exceptio est manuale, c. n. C. Desessard: Le latin sans peine. Chennevières-sur-Marne, 1966, Francogallice compositum.

se coniungi. Sed lecta elementa Latine loquendi in fine institutorii linguae Latinae cursūs fundamentalis (Suppopulinus 1996, p. 52) «possint vel potius debeant fieri supplementum rationale atque institutionis locupletatio» (Fritsch 1990, p. 76)⁸.

Is institutorius ad usum scholarium linguae Latinae vivae cursus, quem componimus, finem habet propositum duplex: primum ut scholares nova verba Latina his temporibus recepta noscant, secundum vero, ut iidem propositionibus cottidianis facultates Latine loquendi scribendique sibi acquirant. Quod ad propositiones attinet, non sunt propriae, sed sequuntur multum sermones ex hodiernis enchiridiis vivae Latinae vocis ediscendae depromptos (Albert 1987; Patrick 2007). Ecce index rerum enchiridii nostri suppositus:

- I. Salvete, amici!
- II. «Vivat academīa, vivant professores!»
- III. De familia mea
- IV. De habitatione mea
- V. De rebus per diem faciendis
- VI. Ab ovo usque ad mālā
- VII. Sic transit otium
- VIII. In pantopolio
- IX. De itinere Iaroslaviensi
- X. De Rutenia patria nostra
- XI. Epistula

Etiam structura lectionum enchiridii prorsus solita est. In qualibet lectione habentur:

- textus de rebus cottidianis ad propositum aliquod spectans⁹;
- exercitationes lexicales et grammaticales, quibus facultates non tantum loquendi acquirantur et excolantur, sed etiam adhibendi varias constructiones grammaticales. Quod ad res grammaticas attinet, non a facilibus ad difficilia consequenter progrediuntur, sed rebus destinantur lexicalibus. Exercitationes inseruntur ad sententias complendas et interrogativae (deinde retrorsum vicissim responsoriae) et ad construc-

⁸ Cfr Theodisce: «Vielmehr kann oder muss es sogar eine sinnvolle *Ergänzung und Bereicherung* des Lateinunterrichts sein.»

⁹ Hunc in modum duo manualia composita sunt: unum D.ricis Sigridis Albert (Albert 1987), alterum - secundum D.rem Alexium Scatebranum Rutenum (Scatebranus 2008: 243) - Iosephi M. Mir Nova verba Latina. Barcinone 1970.

tiones reformandas etc. Exhibentur ex lingua Russica in lingua Latina versiones;

- dialogus una cum exercitationibus lexicalibus;
- in fine indices Latino-Russicus et Russico-Latinus suppleantur enchiridii vocabulorum cottidianorum.

Haec quaestio, quae vocabula ediscenda sint, perdifficilis esse videtur. «Commentarii periodici ...» quidem recentiores «... satis ad traditionem quorundam verborum [*quoque neologismorum - A. S.*] adhibendorum conferunt» (Scatebranus 2008: 598). Nihilominus Romanorum norma Latine loquendi et scribendi cum amissa sit, magnum nostrā opinione momentum electioni terminorum Neolatinorum diversae grammaticorum scholae gustusque latinizantium addant. Ergo interpretatio multiplex nascitur. Hanc inspiciamus nova verba Societatis Latinae Saravipontanae et toponyma atque neologismos D.ri Alexii Scatebrani Ruteni (Scatebranus 2008, pp. 407-656) inter se comparando. Vocabula ad enchiridium convenientia cum seligimus, synonyma invenimus, velut *Iaroslavia*, *-ae f - Georgiopolis*, *-is f (adi. Iaroslaviensis, -e - Georgiopolitanus, -a, -um)*; *universitas (-atis f) studiorum - academia, -ae f; televisorium, -ii n - teleopter, -eris m* etc. In exemplum enchiridii vocabula assumimus ambobus indicibus usi omnia synonyma nobis nota commentariis indicatis. Praeterea originem vocabulorum significamus.

Etiam, ut «normae atque proprietates Latinitatis linguisticae servatae maneant» (Maadla 1984), nos, qui experimenta dubia neglegamus, locutiones et constructiones quaerimus ex pervagatis manualibus vivae Latinae vocis ediscendae. Nomina auctorum, quos accipimus, sunt Desiderius Erasmus Roterodamus (Erasmus) et Iohannes Ludovicus Vives (Vives); Georgius Capellanus (Capellanus 1905), Dr P. Caelestis Eichenseer (Eichenseer 1982) et D.rix Sigrides Albert (Albert 1987; 2001); Prof. Simeon Ivaškovskij (Ivaškovskij 1849-1853); Prof. Dr. Alexander Suppopulinus Mosquensis (Suppopulinus 1998; 2002), Dr Alexius Scatebranus Rutenus (Scatebranus 2008), Dr Alexius Albanus (Scatebranus 2002); Dr. Michaël Djačok (Djačok 1999) et Dr Iohannes Gromyko (Gromyko 2000); etiam commentariis periodicis utimur q. n. «Vox Latina» et «Memento audere semper». Exempla textūs et exercitationum, quae in primo enchiridii capite continentur, vide in Appendice commentationis subiuncta.

Hactenus itaque nonnullas quaestiones attigimus, quae nostra sententia aliquod momentum habent ad componendum enchiridium vivae Latinae vocis. Eruditione Russorum classicā nostro tempore renascente et humanitate

ad occidentem tendente huiusmodi praesidia doctrinae utilia fore speramus. Quod praeteritis temporibus olim iam erat: *Nil sub sole novum*.

Appendix

Exempla textuum una cum exercitationibus

CAPVT PRIMVM: SALVETE, AMICI!

Convertite textum in Russicum:

Salvētē, amīci! Quōmodo vōs habētis? Sī vōs valētis, bene est, ego valeo. Nōmen mihi est Dēmētrius Ivanov, ego Iaroslaviā habīto. Vigīnti iam annōs nātus sum et sum studiōsus: in ūniversitatē litterārum linguis peregrīnis studeo. Expedītē Anglīcē ac Theodiscē loquor, nunc vero linguam Latīnam disco. Lingua Latīna mea non ita bona est, quā de causā summō studiō in littēris versor.

In ōtio Inſtitūtīōnem subsidiāriam dō, pueros et adultos linguā Anglīcā ac Theodiscā ūtī doceo. Vesperī saepissīme libros lego. Magna est mihi librōrum cōpia, librī dum novi et vetēres et Russīci et peregrīni meā intersunt. Plērumque opēra classicōrum, ut vocant, scriptōrum Russōrum fabulāsque historicas lego. Ergō vesperī in sessibūlo sedēns sēmihōram in legēdo dēgo.

Familiāritās mea et multa et varia est. Sunt enim, quibuscum cottīdiē communiōnem in aedībus acadēmicis vel domi vel in pūblico praesēntem habeo, et quibuscum commercium epistulare mihi est. Magnum in ultimis mihi auxilium interrēte fert. Placet, magistro absēnte nōs acquirere facultātes Latīnē scribēndi et quoque loquēndi interrētialiter posse. Numerōsa sunt enim fora hodiē ac locutōria Latīna, en tantum duo: <http://linguaeterna.ru> et <http://schola.ning.com>. Advenītē!

Exercitationes

I. *Complēte tabulam:*

Russīcē	Anglīcē	Theodiscē	Latīnē et Graecē
Николай	Nick	Klaus	Nicolaus
Евгений	...	Eugen	...
Георгий	George
Алексей	Alex
Василий
Иван	Iohannes
Михаил	Michael
Андрей	Andreas
Фома	...	Thomas	...
Елена	Helen	...	Helena
Ирина

Екатерина	...	Katharina	Catharina
Светлана	Photine

II. Declinate nomina Latina et Graeca exercitatione I praefata in casus et numeros.

III. Convertite interrogata in Latīnum et ad haec respondeat:

1. What is the young man's name? (iuvenis, is *m*)
2. Where is he from and how old is he?
3. Where and what does Dmitry study?
4. What (Quibus) languages does Dmitry speak?
5. How does he spend his spare time? (otium peragere, 3)
6. Does Dmitry have any friends? Who are they?
7. How (Quōmodo) does Dmitry learn writing and speaking Latin?
8. For what purpose (Quae est causa, cur...) do we learn writing and speaking Latin?

IV. Complēte lacūnas, rēctis verbōrum fōrmis ūtētes:

vocāris / est / vocātur / vocor / est / vocarisne / sumus / vocāntur / sunt / estis / sum
--

- | | |
|---|---|
| a) <input type="checkbox"/> Qui <i>vocāris</i> ? | e) <input type="checkbox"/> Quis _____? |
| ● Ego <i>vocor</i> Iohannes. | ● Nomīna illis _____ Andreas et Paulus. |
| b) <input type="checkbox"/> Qui _____? | f) <input type="checkbox"/> Quis _____? |
| ● Nōmen mihi _____ Iulia. | ● Collēgae _____. |
| c) <input type="checkbox"/> Quis _____ Alexander? | g) <input type="checkbox"/> Quā professionē fungēris? |
| ● Ego _____. | ● Ego magister _____. |
| d) <input type="checkbox"/> _____ Helena? | |
| ● Ita _____. | |

V. Complēte lacūnas, rēctis verbōrum terminationibus ūtētes:

1. Magister studiōsos salut_.
2. Mihī cantā_ placet.
3. Puerī lūd_ (...are playing).
4. Dēmētri, quid hodiē ag_? (...do you do...?)
5. Ad studiōrum ūniversitātem proper_ (I am in a hurry...).
6. Quid scrib_? (...are you writing?).
7. Bene amb l_!
8. Ubi labor_? (...do you work?)
9. Optīmē disc_ (She studies...).
10. Petropōli habitā_ (We live...).
11. Ūnum frātre[m] et ūnam sorōre[m] habe_ (I have got...).
12. Quam diu linguam Latīnam disc_? (...do you study...?).
13. Inscrīb_ (Write...), quaeso, hōc in tab lā!
14. Moscoviā ven_ (We are arriving...).
15. Unde ven_? (...are you coming...?) – ē theātro.
16. Hōra septīma surg_ (She gets up...).
17. Nolīte ad me venī_ hodiē.

VI. Complēte lacūnas, rēctis verbōrum terminationibus ūtētes:

1. In ōti_ amīc_ meos visito.
2. Pater fili_ su_ salūtat.
3. Epistul_ accipit.
4. Omnes homīnes pārēnt_ habent.
5. Quot liberī in famili_ tu_ sunt?
6. Nōm_ amīcis meis sunt Petrus et Alexius.
7. Ubi cognātī tui habitānt? – Quīdam Plescovi_, cēteri Neapōl_ Inferiōr_.
8. Quot ann_ natus (nata) es? – Duodevīginti ann_.
9. Milia studiōs_ in acadēmia nostra discunt.
10. Quot lingu_ loquēris?

– Duabus: Anglīc_ et Francōgallīc_. 11. Quis est homo, qui multum ōti_ habēat? 12. Scisne lingu_ Latīn_? – Haud multum scio.

VII. *Convertite dialōgum in Russicum:*

- Avē! Ecquid grātum mihi facies?
- Cupio. Dīc, quid est?
- Prīmō hic adsum et nunc decanatum quaero.
- Incipisne annum acadēmicum primum? Quid est tibi nōmen?
- Nicolāus.
- Salvum gaudeo tē advenīre, Nicolae! Ego vocor Cōstantīnus. Unde venis?
- Rostoviā. At tū?
- Iaroslaviā. Sed non sum dē hāc acadēmīa, nam in studiōrum ūniversitāte disco paedagōgicōrum.
- Itane? Neque non in schola historicōrum?
- Hāc dēmum schola, rēctē dīcis!
- Soror mea Tatiana, Orlova cōgnomīne, eōdem locō discit.
- Ain' tū? Tatiana Orlova, quae hōc anno in natando in ludis Olympicis vīcit? Quo facto non tantum et ūniversitāti studiōrum nostrae et urbi in dēliciis facta est, sed etiam terrae tōti!.. Rēvēra autem in televisōrio saepius vidētur, quam in aedibus acadēmicis.
- Hodiē quidem domi adest. Sī placet, venī ad convīvium.
- Grātias ago! Quod ad decanatum tibi inveniēndum, ecce audītōrium ducentesimum octāvum.

VIII. *Estne hōc rēctum? Estne hōc falsum?*

1. Nicolāus est studiōsus, qui ad annum finem disciplīnae faciet.
2. Cōstantīnus, disciplīnae historicae studiōsus, Nicolāo viam ad decanatum mōnstrat.
3. Uterque iuvenis iaroslaviae habitat.
4. Tatiana, Cōstantīni soror, natātrīx praeclāra, in ludis Olympicis nūper vīcit.
5. Tatiana natātiōnis causā scholas saepissimē praetermittit.
6. Professōres et magistri acadēmici, etsi Tatianae absentiam vitupērant, tamen victōriis eius gaudent.
7. Tatianā domi versante Nicolāus Cōstantīnum ad cenam vocat (invitat).

IX. *Complēte tabulam:*

	Cōstantīnus	Nicolāus	Tatiana
Urbs, in quā habitat			
Professio			
Āctīvitātes acceptissimae			

Libri adhibiti

Albert 1987 – Albert S. Cottitie Latine loquamur. Textus de rebus cottidianis hodiernisque. Saraviponti – Saarbrücken, 1987.

Albert 2001 – Albert S. Cottidianum vocabularium scholare Theodisco-Latinum, Latino-Theodiscum, Francogallico-Latinum, Latino-Francogallicum. Saraviponti – Saarbrücken, 2001.

Capellanus 1905 – Capellanus G. Sprechen Sie Lateinisch? Moderne Konversation in lateinischer Sprache. Dresden und Leipzig, 1905.

- D'jačok 1997 – D'jačok M. T. *Russko–latinskij slovar'*. – Novosibirsk: 1997.
- D'jačok 1999 – D'jačok M. T. *Osnovy latinskogo jazyka*. – M.: Prior, 1999.
- Eichenseer 1982 – Eichenseer C. *Latinitas viva. Pars lexicalis*. Saraviponti – Saarbrücken, 1982.
- Erasmus – Desiderius Erasmus. *Colloquia familiaria*. URL: <http://stoa.org/colloquia/>.
- Fritsch 1990 – Fritsch A. *Lateinsprechen im Unterricht. Geschichte – Probleme – Möglichkeiten*. – Bamberg: C. C. Buchners Verlag, 1990.
- Gromyko 2000 – Gromyko I. N. *Russko–latinskij slovar'*. – Minsk: Novoe znanie, 2000.
- Ivaškovskij 1849–1853 – Ivaškovskij I. *Polnyj russko–latinskij slovar'*. Tt. 1–4. Spb., 1849–1853.
- Maadla 1984 – Maadla Ju. J. *O sovremennyh popytkach «oživlenija» latyni kak jazyka meždunarodnogo obščeniija // Interlinguistica Tartuensis*. 3, 1984. S. 58-72. URL: <http://philology.ru/linguistics3/maadla-84.htm>.
- Patrick 2007 – Patrick R., Piazza J. *Colloquia Cottidiana. An Introduction to Everyday Useful Latin*. Preliminary draft. Copyright © 2007. URL: http://johnpiazza.net/colloquia_cottidiana_draft_1.pdf.
- Scatebranus 2008 – Solopov A. I. *Načala latinskoj stilistiki*. – M.: Indrik, 2008 / Alexii Scatebrani *Ruteni initia eloquentiae Latinae. Moscouiae. In edibus Indrik, MMVIII*.
- Stroh 2001 – Stroh W. *Lebendiges Latein*. URL: http://lrz-muenchen.de/~stroh/schriften/artikel_lat.html.
- Suppopulinus 1993–2000 – Podosinov A. V., Ščaveleva N. I. *LINGUA LATINA. Vvedenie v latinskij jazyk i antičnuju kulturu. Časti I–III. Osnovnoj kurs*. – M.: Flinta: Nauka, 1993–2000.
- Suppopulinus 1996 – Podosinov A. V. *Latinskij jazyk v škole. Istorija, zadači i metodika prepodavanija*. – M.: Russkoe slovo / Impeto, 1996.
- Suppopulinus 1998 – Podosinov A. V., Kozlova G. G., Gluchov A. A. *LINGUA LATINA. Latinsko–russkij slovar'*. – M.: Flinta: Nauka, 1998.
- Suppopulinus 2002 – Podosinov A. V., Belov A. M. *LINGUA LATINA. Russko–latinskij slovar'*. – M.: Flinta: Nauka, 2002.
- Vives – Vives J. L. *Exercitatio Linguae Latinae*. URL: <http://stoa.org/colloquia/>.

ALEXIVS SLEDNIKOV